

## „Iosephus Indus“

### QUOMODO IOSEPHUS INDUS VENIT ULISBONAM ET EXCEPTUS A REGE HONORIFICE CONTENDIT ROMAM ET VENETIAS A NOSTRIS SOCIATUS

1 Cum igitur alias suis celocibus et liburnicis rex noster regiones australissimas peragravisset, dum ea irent in Indiam hærendo suorum sententiæ, qui easdem partes retroactis temporibus lustraverant, decrevit eo anno, qui est ordine MD, rex Emanuel memoratus rursus eo mittere classem XII navium, cui præfecit Petrum Aliares, qui suscepto de manu præfecti sui trophæo, octavo mensis Martii eius anni solvit Ulisbona. Qui inter navigandum innumeras passus est anxietates et discrimina tandem annuentibus superis decima tertia Septembris eiusdem anni deveniunt ad urbem Calechut cum septem tantum celocibus. Nam ex classe perierant quatuor obrutæ tempestatibus sævissimis, alia vero Zaphalam concesserat. Steterunt igitur in portu urbis Calechut mensibus fere tribus, et demum orta inter nostros et urbis incolas controversia occisisque hinc inde hominibus nonnullis, nostræ celoces Cuchinum profectæ sunt vigesima quarta Novembris anni supradicti. Nam Cuchinum distat ab urbe Calechut miliaribus fere centum et decem.

2 Id regnum mari adiacet, cui dominatur rex gentilis eius sectæ, cuius est rex Calechut. Is rex Cuchini nostras celoces perbenigne excepit, et dum illic commoramur commercia exercentes, uti in superioribus retulimus libro tertio capite LXXVIII, duo germani fratres Indi Christianique venerunt ex urbe quadam dicta Caranghanora, quæ abest ab urbe Cuchina miliaribus fere viginti, qui aiebant se in votis gerere plurimum, ut occidentalem viderent plagam, supra autem vota gerere, ut Romam et demum sanctam civitatem Hierusalem inviserent. Qui nostras celoces ingressi nobiscum ultronei ibant. Et ecce per id tempus ingens classis solvit ab urbe Calechut, ut nostram classem pessime acciperet. Quod ut nobis compertum fuit, mox vela ventis dedimus altum petentes, euntibus nobiscum dictis fratribus et nonnullis obsidibus, qui loco et compensatione nostrorum dati fuerant, eorum inquam, qui in

urbe Cuchina negociaturi remanserant. His igitur conspectis versus Ulisbonam iter cepimus.

3 Ex his vero fratribus Indis, quorum iam memini, alter vivit, alter vero vita functus est, dum in Lusitaniam proficisceremur. Tandem aliquando mense Iunii MDI Ulisbonam devenimus. Quo ubi applicuimus, dictus Ioseph commeatu a rege habito socioque Romam et demum Venetias contendit et rursus rediit Ulisbonam; et per id tempus complura scitu non indigna accepimus referente eodem Ioseph Indo, quorum latius meminisse animus est in sequentibus.

#### DE PATRIA IOSEPH ET HABITUDINE CORPORIS

4 Igitur Ioseph prædictus natione Indus, patria Carangoronensis, annum agens quadragesimum, coloris subcinericii, staturæ fuit mediæ, hoc est inter proceriores et breves medius. Id asseverant, qui sæpenumero hominem contemplati sunt. Vir erat ingenio non mediocri, verax admodum, utpote qui nihil magis oderat quam mendacia, virque abstemius et integritatis non vulgaris; et revera quantum colligere ex eius consuetudine quivimus: vir erat non pœnitendus et in primis fidei inconcussæ illibatæque.

5 Urbs igitur, unde oriundus est vir memoratus, abest ab urbe Calechut fere miliaribus nonaginta, quæ est in sinu quodam dicto Milibar, introrsus terras ad quintumdecimum lapidem. Muro haud ambitur, longitudine vero miliarium triginta, quoniam domus, ut apud nos, haudquaquam sunt contiguæ, sed invicem distant adeo, ut videantur vicatim habitare; eamque interfluunt complura flumina et plerunque eorum ædes adiacent fluminibus. Hanc urbem incolit hominum duplex genus: alterum Christianorum, gentilium alterum. Et ut vobis cunctisque colliquescat, qui sint gentiles, scitote itaque eos esse populos, qui olim pro diis colebant idola necnon animalia multiiuga, uti in sequentibus denarrabitur. Rex eorum servit idolis. Inibi etiam sunt complures Iudæi, verum vilipenduntur plurimum. Eo etiamnum contendunt negotiatores fere innumeri commercii causa, ut sunt Syri, Aegyptii, Persæ, Arabes, Medi et id genus complusculi, quoniam illic comportantur fere omnia aro-

matum genera fertque plaga huiusmodi multa humano generi non ingrata.

DE INCOLIS URBIS CARANGANORÆ DEQUE EORUM DELUBRIS  
ET MORIBUS

**6** Urbs trifariam dividitur. Primores, id est patricii ac primæ classis viri sua lingua Naires dicuntur. Secundo loco homines census fere nullius, ut proletarii, succedunt, ut sunt apud nos gregarii; Canes suo idiomate appellantur. Postremo tertiam partem absolvunt capite censi, viri nullius census et classis postremæ; hi piscatu victum quæritant suntque deteriores cæteris; Nuiram eorum lingua appellantur. Hos adeo odit nobilitas, ut, si forte eos obvios habuerit, ni fuga sibi conducto consulant, pessime accipiat.

**7** Privæ tribus priva habent delubra. Mulieres vero alia templa habent, quæ non adeunt viri. Dant deo bonorum suorum, loco primitiarum, fruges multiugas. Adorant deum cœli eumque trinum credunt; propterea trifrontem pingunt in statuis, complicatis manibus; Tambram nuncupant. Ante eorum statuas trahuntur plagæ (nos cortinas appellamus) ex lino candidissimo. Hæ reserantur, dum sacrificant, sicuti latius in sequentibus referemus. Habent etiamnum statuas animalium varias, verum eas minime colunt. Quando delubra adeunt, alii frontem terra cooperiunt, aqua alii aspergunt. Ter in die visunt templa: mane, meridie et vesperi.

**8** Sacrificant hoc modo: Convocant plebem buccinatores, cornicinæ et choraulæ nonnulli (ut nos campano ære) et tantisper concentum efficiunt, donec magnus eorum sacerdos adventaverit, qui indutus veste nescioqua sacerdotali astat altari et canere quædam incipit ad cultum divinum pertinentia (orationes nos appellamus). Mox subsequitur alius sacerdos cantans et ipse nonnulla. His populus respondet omnis; usque tertio hæc fiunt. Demum peractis his egreditur sacerdos quadam porta, nudus totus, habens pro corona sertum rosarum in capite duoque magna lumina totidemque cornua ficticia. In manibus gerit enses duos denudatos et gradu citato, veluti lymphatus quispiam, versus eorum deum currit cortinamque mox reserat et ensem alterum magno sacerdoti porrigit, altero vero se ipsum complusculis consauciat vulneribus. Et ubi se

prope confecit plagis innumeris, illic prosilit in rogam ardentissimum ibi ex composito paratum inque eo saltat more tripudiantium et chorizantium. Evadit tandem rogam tortuosissimisque oculis dicit se esse locutum cum deo suo taliaque mandavisse. Et tunc quasi a deo accepta persona incipit docere populum. Sunt et alia complura sacrificia, quorum non meminit Ioseph, tum quia vix eum intelligere quivimus, tum vel maxime quia is Ioseph cum gentilibus vix diversatus fuerat, utpote qui eius sectæ minime erat. Satis itaque ac super de delubris ac sacrificiis horum dictum arbitror.

#### DE REGUM MORIBUS ET INDIGENARUM ET QUOD IBI SUNT QUIDAM CHRISTIANI

**9** Rex gentilium colit idola et complures habet coniuges, quibus nullus est pudor nullave pudicitia; passim prostituunt corpora. Ubi functi sunt vita, concreta concremantur. At eorum mulieres per octiduum tantum supervivunt; demum, ut in memoriam virorum et ipsæ concrementur, sunt suæ spontis. Hæc referebat Ioseph coram vidisse. Filii regum regni haudquaquam sunt hæredes, verum qui secundo gradu succedunt in stemmate. Argumentum sumunt ex incontinentia coniugum, quod videlicet filii sunt nothi, propterea regno privantur. Quum humant corpora, variis utuntur ceremoniis.

**10** Gentiles hoc modo induuntur: Rex apicem aureum †atalici† panni gerit in capite, at urbis primores birretum ex serico contextum, cæteri aperto capite prodeunt. Nudi incedunt, pudorem contegunt sindone mundissima, brachia condecorant armis preciosissimis, omne genus gemmarum faberrime excultis. In pedibus condalia ferunt magni precii, videlicet annulos omnifariam insignitos lapidibus preciosis, qui inibi magni penduntur.

**11** Bis et iterum lavantur in die locaque ad id deputata habent plurima. Viri et fœminæ in universum sunt formosi, pulchretudine eximia honestantur. Comunt capita mirum in modum, uti decet muliebrem mundum: caput exornant gemmis et margaritis. Gentiles non aliter scribunt quam stylo ferreo in libris arborum. Linguam habent Indam. Et de his hactenus. Verum quia in superioribus commemimus Christiani nominis diximusque complures

esse in urbe Caranganora Christianos, non ab re erit, si eorum mentionem in hoc capite fecerimus.

**12** Noverint igitur omnes ab Indo flumine, ubi auspicatur India, occidentem versus insulam Ormus, quæ est non longe a sinu Persico, Christo tantum parere. Alibi non sunt Christiani præterquam in Caranganora urbe. In India vero sunt multiplices reges, qui Christum norunt. Qui vero incolunt Caranganoram urbem, Christiani complusculi sunt penduntque vectigal regi gentilium; nam conducunt ære annuo eorum ædes, præterquam quod tributa solvunt, ut latius dictum est.

#### DE DOMIBUS EORUM, ET QUOD EORUM PONTIFICES MODERANTUR

**13** Eorum ædes parietibus fulciunt habentque varias contignationes, at gentiles suas domos tegunt assamentis et lignis id genus. Christiani vero ibi delubra habent nostris non absimilia, verum solas cruces inibi videbis. Nullas habent sanctorum imagines. Concamerata sunt, ut nostra, inque eorum crepidine crux visitur pergrandis, ut est videre apud nos. Tintinabula habent nulla. Quando vocant populum ad divina, servant morem Græcorum.

**14** Hi populi habent magnum antistitem, cui adstant cardinales duodecim, patriarchæ duo, archiepiscopi vero et episcopi complures. Referebat propterea dictus Ioseph cum quodam episcopo solvisse ab urbe Caranganora et conscensis ratibus ivisse ad insulam Ormum, quæ est a Caranganora miliaribus fere mille et quingentis. Et inde petiit mediterranea itinere trium mensium. Una cum episcopo memorato pervenit in Armeniam maiorem, ut consalutarent reverentissime suum magnum pontificem, a quo episcopus dictus initiatus sacris Iosephque memoratus ad sacerdotii gradum promotus est. Itidem agunt Christiani omnes Indi et regni Cataii.

**15** Eorum pontifex Catholica dicitur fertque tonsuram instar crucis. Præficit patriarchas suos, ut dictum est, alterum in India, in Cataio alterum. Alios vero episcopos alio mittit, prout expedire visum fuerit, ut ad suas provincias moderandas transmittantur. Huius Catholicæ commeminit Marcus Paulus in tractatu Armeniæ et ibi dicit duo esse genera Christianorum, Iacobitarum videlicet et

Nestorianorum, quorum papa dicitur Iacobita, qui est hic Catholica, de quo est sermo cuiusque meminit Ioseph sæpe dictus. Et quum dictus papa varios homines promoveat ad gradus huiusmodi efficiatque multiplices antistites, posset non ab re ambigere quispiam, unde ei hæc sit auctoritas autorandi homines, cum sancta Romana ecclesia, quæ est unica, et unicam habet fidem unumque Romanum pontificem recipit. Sciant igitur tempore, quo Alexander VI scepra moderabatur ecclesiæ universalis, dictum Ioseph Romam contendisse. Hunc Alexander, maximus pontifex, percunctatus est, a quo Catholica præfatus habuisset facultatem antistandi in Oriente. Huic respondit Ioseph his verbis: Olim divum Petrum apostolum Antiochiæ præfectum fuisse. Et quum sancta Romana ecclesia schismate laboraret atroci duce Simone mago, qui sui nominis momumenta reliquit, sanctus Petrus accersitus est Romam, ut Simonem confunderet et laborantibus Christianis non deesset. Hic itaque Petrus non prius solvit Antiochia concessurus Romam, quam vicarium Antiochiæ præfecerit. Et is est, qui Orientalem plagam moderatur et dicitur Catholica geritque Petri vices. Hunc vero Catholicam præficiunt cardinales duodecim in Armenia; et id iactant autoritate Romani pontificis facere. Quod esse falsum nemo est, qui nesciat, quandoquidem una est sponsa Christi, quæ unam figurat ecclesiam Romanam, extra quam salus est nulla. Quæ vero dicuntur de aliis, commenta sunt omnia et fidei nullius. Hæc dixerim, ne quis putet a soliditate petræ Christi esse recedendum. Unus deus igitur, una fides, una est sancta Romana ecclesia.

DE MODO CONSECRANDI EORUM ECCLESIAS ET DE MORIBUS,  
QUOS SERVANT, DUM HUMANT CORPORA

**16** Itaque hi habent, levitas et hypodiaconos. Sacerdotes vero non ferunt tonsuram, sed nonnihil capillorum in summa parte capitis habent. Infantes non baptizantur ante quadragesimum diem sui ortus nisi morte ingruente. Confitentur ut nos, eucharistiam sacram sumunt, extremam autem unctionem non habent, sed loco eius corpora benedicunt. Quum ingrediuntur eorum delubra, latice benedicto corpora aspergunt ut nos. Consecrant corpus Christi et

sanguinem, si tamen id consequi possunt, in azymis, hoc est in pane non fermentato, more nostro. Et ubi non habent vinum, quoniam ea regio vitium est impatiens, uvas passas immergunt aqua et demum succum exprimunt eoque vice vini utuntur, nam eo ex Cataio comportantur uvæ passæ complures.

**17** Humant humana corpora more nostro, quumque quispiam vitam exhalaverit, mox veniunt multi et diebus octo continuis simul commessantur. Peractis vero epulis fundunt pro defuncto preces. Testantur supremaque colitur voluntas; et ubi intestati decesserint, qui arctiore gradu defuncto est proximior, is est hæres. Eorum coniuges viris vita functis cum dotalitio abeunt in paternas aedes; ita tamen, ut intra annum luctus non nubant.

**18** Quatuor evangelistas habent totidemque evangelia colunt. Observant quadragesimam et adventum ieiuniis et orationibus perquam diligentissime. Inter cætera a die parasceues usque in diem paschæ omni cibo abstinent, nocte sancti Veneris orationibus et concionibus sacris iugiter insistunt. Intra annum has sanctorum celebritates mire observant: Primo diem sanctæ resurrectionis cum duobus sequentibus diebus. Octavum diem paschæ supra omnem festivitatem colunt, quippe qui affirmant ea die divum Thomam, cuius sunt ipsi perquam studiosi, in latus nostri servatoris manum posuisse cognovisseque non esse phantasma. Deinde diem, qua Christus cælos conscendit eximie colunt. Post hæc trinitatis, assumptionis beatæ virginis, nativitatis eiusdem et purificationis, nativitatis nostri servatoris, epiphaniæ et omnium apostolorum diesque dominicos observant. At primam diem Iulii mirum in modum custodiunt in memoriam divi Thomæ Christiani pariter ac gentiles.

**19** Cœnobia habent, ubi continentissime vivunt monachi nigri. Habent et sanctimoniales complures. Sacerdotes vivunt castissime, et si qui comperti fuerint incontinentiæ, hi mox privantur missarum celebratione. Qui Christo parent, divortiis minime utuntur, bonum vel malum sit matrimonium, perennat ad ultimum usque fati diem. Ter in anno populus suscipit eucharistiam sanctissimam.

**20** Doctores habent egregios eosque eruditissimos. Literarum studia ibi vigent plurimum. Prophetas, ut nos, legunt. Addebat etiam dictus Ioseph inibi esse complures sanctos doctores, qui vetus et novum testamentum explicarunt cordatissime. Habitu utuntur Maurico, id est lineis tunicis. Diviserunt annum, ut nos, in

menses duodecim et habent intercalarem diem. Verum diem partiti sunt in horas sexaginta easque ad aspectum solis interdiu cognoscunt, noctu vero intuitu stellarum.

QUANDO HYEMS EST IN URBE CARANGANORA ET DE  
NAVIBUS EORUM

**21** Qui Caranganoram incolunt, hi sunt inter tropicum æstivum et æquatorem et, ut referebat dictus Ioseph, diem habent maiorem horarum tredecim cum dimidia, minorem vero decem, ita ut intelligas de nostris horis, non autem de suis, quæ sunt multo minores, ut dictum est. Quum vero sol est in tauro, umbram habent perpendiculararem; quando est in cancro, proiicitur umbra ad Austrum; et ubi est in virgine, rursus habent perpendiculararem; quando autem est in capricorno, ad Septentrionem umbra proiicitur. Temporis mutationem apud eos videbis a medio mense Maii usque ad medium Augusti. Tunc temperant a navigationibus et nullo pacto ob sævientem per id tempus fortunam maria sulcant.

**22** Sunt etiamnum in illis Indiæ partibus innumera navigia, quæ in occidentem contendunt, alia vero in Arabiam, in Persidem alia. Nonnulla mare Erythræum arant, alia vastissimam lustrant Indiam ad orientem in primis usque ad Chersonesum auream et deinceps ad extrema Indiæ prætereuntes Cataium et Taprobanam insulam Sayllamque et complures alias. Naves itaque huiusmodi, quibus sulcant, sunt prægrandes adeo, ut circa duodecim vela habeant, remiges innumeros; nonnullæ vero minus. Aliæ autem pro velis tegetes, id est storias, habent et huiusmodi ab insulis proficiscuntur, alia vero ex cotonina omne genus vela conficiunt. Naves fabricantur clavis ferreis. Et propterea id dixerim, quoniam falso arbitrati sunt quidam clavis ligneis eorum naves consolidari. Hæc enim non indiligenter sciscitatus sum a Ioseph prædicto. Ostendi illi aliquando formam conficiendi nostra navigia, ratus longe alium esse eorum morem. At ille subridens ait itidem Indos quoad fabricandas naves servare. Eas etiam feruminant thure admixtis nonnullis aliis.

**23** Quum autem in mare fabrefactas naves proiiciunt, elephantos hinc et hinc ponunt, qui non sine hominum strage molem tra-



hunt in mare. Cœperunt ob tot hominum cladem ab hoc more temperare et dimissis beluis, quibus utebantur ad navandam hanc operam, numerosiorem hominum cœtum addunt, donec moles in pelagus trahatur.

#### DE MONETA ILLORUM ET DE REBUS, QUÆ IBI NASCUNTUR

**24** Triplex est genus monetæ illic: Saraphum appellant suum aureum nummum valoris et ponderis nostri ducati, aliam vero appellant parantem argenteam; et ea est valoris solidorum sex e nostris. Habent et aliam valoris solidi unius. Et hæ omnes habent imaginem subscriptionemque sui regis. Ibi aurum neque alia metalla inveniuntur; illuc comportantur aliunde videlicet ab montibus quibusdam, qui absunt miliaribus fere CCC.

**25** Plaga Caranganoræ est soli patentis eiusdemque aprici et feracis. Longe absunt montes. Cœli est perquam clementis. Viri sunt subcinericii (qui vero montes incolunt, hi sunt albicantis coloris) et non nisi annosi pereunt. Referebat Ioseph inibi viros centenarios esse, qui adhuc dentium ordinem illæsum habebant.

**26** Regio est admodum ferax, licet triticum non gignat neque equos (eo triticum comportatur a quibusdam insulis), eiusdem naturæ, cuius est regio Calechut et Cambaia; et id efficit arenosa plaga. Equos mittunt Ormus et montes quidam. Eis minime utuntur nisi ad gerulam operam, quum ultro citroque comportantur merces. Ad bella non utuntur.

**27** Pedites præliantur arcibus et sagittis necnon machæris et clypeis obrotundis. Hastis nonnullis utuntur in prælio, digladiatores sunt eximii. Alii se loricant piscium pellibus, quæ sunt ad quoscunque ictus impenetrabiles, alii loricas et thoraces ferro fabricantur.

**28** Animalia omnifariam habent, ut sunt boves, arietes, bubali, pecora et id genus compluscula; et ea vice numinis gentiles colunt. Regio etiam fert elephantos uberrime. Minutiora etiam habent animalia, ut sunt gallinæ, anseres. Sues non habent. Percunctati sumus etiam precium rerum et ostensis gallinis ipsi Ioseph Indo dixit apud suos se centum gallinas aureo uno consequi quire.

## DE ORIZA, PALMIS ET NUCIBUS INDIAE

**29** Hæc plaga fert orizam eximie et saccarum; tritum utrunque emittit ac oleo conditum, oriza panem conficiunt non insuavem. Habent herbarum genera viginti, quæ hominem alunt plurimum. Radicibus in primis oblectantur. Rosmarinum non habent neque bussum, poma, vites nec persica. Hæc omnia ostendimus illi, quæ dixit haud esse in regione sua. Ficus habent complures adeo, ut vix sit credibile, quantum scateat regio fructibus huiusmodi.

**30** Habent et aliam arborem, quæ fert Indas nuces; et hæ arbores, ut referebat Ioseph, quadrigeminos gignunt fructus: videlicet oleum, vinum, acetum et saccarum. Qui vero his fidem non adhibent, legant Strabonem in XVI suæ geographiæ et adstipulabuntur Ioseph Indo vera narranti. Sic enim Strabonis caput incipit: “Cætera vero ex palma præbet. Ex ea enim panis, mel, acetum et oleum fit et testilia varia. Nucleis pro carbonibus fabri ferrarii utuntur, qui in aqua macerati bobus et ovibus in pabulum dantur.”

QUOMODO EX PALMA FIT VINUM, OLEUM, ACETUM ET  
SACCARUM

**31** Ex palma igitur hoc modo quatuor fiunt fructus: In mense Augusti (id enim est eis primum ver) palmam putant, ut nos vites. Et quoniam tunc arbores potissimum luxuriant, gemunt incisæ lachrymasque instar consauciatæ vitis emittunt. Has vasis excipiunt. Tribus solum diebus ab arbore sauciata ea pro vino utuntur albicante aqua. Elapso triduo ex latice fit acetum suapte natura.

**32** Qui vero saccarum efficere voluerit, is aquam huiusmodi sumat emanantem intra triduum et ahenis impositam tantisper coquat, donec vix tertia pars supersit; tunc sic decocta mel efficitur suavissimum. Ubi vero mel est effectum, id rursum aquis immergunt et compurgant subinde usque ad vigesimum diem; et quum diligenter descaverint, eo utuntur pro vino et quidem, ut aiunt, suavissime. E nucleis vero fructus palmæ expriment oleum. Habes igitur ex una arbore fructus complures. Ex lignis etiam semicom-bustis carbones fiunt, ex libro arboris funes. Hæc itaque summa

sit: nullam esse aliam arborem, quæ magis humanis usibus conducat.

**33** Ibi etiam ubertim piper nascitur, quod torrent ad calorem solis, ne forte satum alibi germinet in damnum eorum. Arbores ibi non sunt magnæ proceritatis, nusquam tamen sunt frequentiores præsertim in India. Ibi etiamnum copia est ingens zinziberis, myrabolani, cassiæ et aromatum fere omne genus. Hæc omnia præstant Mauri negotiatores et ea Babyloniam (Cayrum nunc appellant urbem Niloticam) comportant, inde Alexandriam, Damascum et demum ad Persas. Convehunt hæc etiam versus montes et ad Cataium, quæ regiones plurimum a nobis absunt, prout latius referemus in sequentibus. Verum postquam satis ac super de urbe Caranganora dictum est, æquum censeo, ut rursus ad urbem Calechut redeamus.

#### DE URBE CALECHUT DEQUE EIUS REGE ET MORIBUS NECNON MERCIBUS

**34** Urbs itaque Calechut occidentem respicit abestque ab urbe Caranganora miliaribus prope XC. Mari adiacet et portum habet non incelebrem; maior est Caranganora. Cuius dominus est idolorum cultor et eius sectæ, cuius est dominus Caranganoræ. In nullo prope differunt, si cultum deorum, si mores, si superstitiones spectaveris, uti latius commemimus in superioribus. Propterea, ut parcamus iusto volumini, parcius in præsentia de hac re loquimur. Illud tamen non præteribo illic esse prope innumeros negotiatores, Persas videlicet, Mauros, Indos, Medos, Assyrios, Syros, Arabas, Aegyptios et fere ex omni orbe convenas. Alii alias ducunt merces adeo, ut ibi fere nihil, quod ad humanum cultum spectet, desideres. Sunt inter cæteros illic nonnulli, qui Guzerati appellantur, qui multiuga tractant mercimonia. Eo itaque quasi tota India merces comportat uberrimas. Frequentior etiam inibi negotiatorum numerus erat, quum incolæ Cataii illo proficiscebantur.

**35** Hi igitur Cataii populi colunt Christum et coloris sunt albicantis ut nos. Viri sunt perquam strenui, qui olim in urbe Calechut eximie negociabantur. Verum quum rex Calechut male eos accepisset, solvere illinc et paulo post revertentes stragem non medio-

crem incolis urbis Calechut intulerunt et deinceps non sunt regressi. Post hæc adivere urbem Mailapetam, quæ urbs paret regi Narsindo. Regio respicit orientem et distat ab Indo flumine miliaribus XC. Ibi nunc sua exercent mercimonia.

**36** Populi dicuntur Malasines. Multiiuga ferunt mercimonia, videlicet serica omne genus, æra, plumba, stagna ac castorium et id genus innumeros odores. Hæc sunt, quæ eo ipsi comportant. Quæ vero exportant illinc, hæc sunt: videlicet coralli omnium generum et aromata. Aiunt eorum regionem abesse ab urbe Calechut miliaribus sex mille. In capite ferunt ornamenta quædam ingentissimi precii. Locupletes sunt in universum.

**37** Redeamus ergo ad urbem Calechut, cuius rex dicitur Bau-ser, qui magnam regiam habet instar theatri, cuiusque latera stipant septem milia hominum, qui pro salute principis vigilant. Hi noctu urbem lustrant, quoniam vasta est et patens absque mœniis. Per vices propterea vigiliæ disponuntur, ne quid inopinatum accidat, dum dant membra quieti. Hanc curam viri CCC habent. In theatro visuntur aulæ sive cœnacula magna quatuor, quæ singula singulis patent nationibus: alia Indis, Mauris alia, alia Iudæis, Christianis alia patent. Unaquæque natio novit suum auditorium; in alieno non admittitur. Privi priva loca audientiæ habent et ibi expediuntur. Verum eo prius non accedunt, quam loti fuerint; alioquin ad regem minimemitterentur, illoti videlicet, utpote immundi ac fœdi. Gentiles hunc morem servant: In mari nunquam comedunt, quoniam si id agerent, nunquam regem viderent deinceps.

**38** Neque ommitteremus, quin et rursus de hac re mentionem faciamus, licet in superioribus commemorimus: nam retulimus paulo supra mulieres Indas hunc morem habere, quod videlicet nihil ducunt honorificentius quam cum viris simul occumbere. Comburi propterea cum coniugibus iam fato functis summe appetunt, nec id mirum. Putant enim non posse aliter sibi parere immortalitatem. Huius rei commemorit Strabo XV suæ geographiæ; eius caput sic auspicatur: “Refert enim Nicolaus Damascenus se Antiochiæ ...” et cetera, quæ sequuntur.

**39** Sicuti igitur præfeci, in urbe Calechut magna sunt commercia et statis anni temporibus fiunt nundinæ non incelebres eoque undequaque catervatim populi confluunt, ex Cataio in primis, demum Indi omne genus, Persæ, Medi, Syrii, Turcæ, Assyrii, Arabes, Aegyptii et hi præsertim, qui Babylonem, id est Cayrum,

incolunt, urbem Aegyptiam, quæ Nilo adiacet, amni famigerato multarumque gentium ac regionum termino. Percunctati sumus etiam Ioseph prædictum Indum, an illi nostræ huius regionis cognitionem habeant quampiam. Referebat Romanam urbem et Venetias necnon Galliam, quæ Francia dicitur, esse apud eos nonnihil in precio et in primis aurum Venetorum signatum argentumque illic esse eximio in precio. Is ergo Ioseph adivit illustrissimos dominos Venetos et eis ostendit nonnullos antiquissimos aureos, in quibus erat expressa Veneti ducis perquam vetus imago.

### DE REGNIS CAMBAIÆ, ORMUS ET GUZERAT

**40** Postquam satis ac super de urbe Calechut dictum remur, de rebus occiduis fiet sermo et in primis de regno Cambaiæ, quod abest ab urbe Calechut miliaribus prope mille, et deinde ad insulam Ormus miliaria CCC.

**41** Et ea est in principio sinus Persici introrsus terras miliaria XX; et id loci dicitur caput Mogolistanum, ubi auspicatur sinus. Hæc insula circuitu patet miliaribus fere CL. Eius dominus servit Mahumeti. Urbs est vasta admodum et habitatore frequentissima ac prope omnium rerum ferax. Mercimonia emittit quasi innumera. Ibi et vitrea fiunt vasa elegantissime. Legunt illic unionum copiam maximam. Equos fert eximios, quos in Indiam venales mittunt; eis etiam merces comportant suas. Hinc igitur, id est ab hoc capite Mogolistano, quod est in umbilico insulæ Ormus usque ad urbem Cambaiam, intercedunt innumeræ Maurorum urbes, inter quas hæc minime sunt obscuræ: videlicet Sobobec, Semath et Chesimii. Introrsus vero est urbs Guzerat. Secus autem littus urbs Cambaiæ visitur, quæ, ut præfecimus, potest abesse a capite Mogolistano miliaribus quasi CCC.

**42** Hæc urbs Cambaiæ plurimum sinuatur; et ubi est sita urbs, dicitur sinus Guzerat, verum olim dicebatur Betrosia. Et quia meminimus huius loci Guzerat, nonnulla de eo referemus.

**43** Eius itaque plaga habet urbes complures, vicos et oppida. Frequentissimis est habitatoribus eisdemque negociatoribus. Idola colunt necnon solem et lunam bovesque fœminas adeo, ut apud eos capitale sit bovem fœminam occidisse. Morticina non comedunt,

vinum non bibunt [album]. Viri sunt albicantis coloris superantque albedine incolas Calechut. Fascinatores sunt eximii. Comunt capillum et barbam et cincinnos ut mulieres circumferunt torqueque ex capillo facto caput mire exornant. Mulieres uni viro solum nubunt et rursus viri unam ducunt coniugem; post quam vitam celibem agunt. In universum sunt continentissimi nec in Venerem facile ruunt ut reliqui salaces. Legumine vivunt et oleribus, quæ parens mittit terra, ut author est Pithagoras. Abunde dictum arbitror de urbe Guzerat. Superest, ut nonnihil de urbe Cambaïæ disse-ramus.

DE SITU URBIS CAMBAË DEQUE EIUS REGE ET NONNULLIS  
ALIIS LOCIS AC DE AROMATIBUS

**44** Urbs Cambaïæ sita est in sinu Guzerat. Ea est maxime culta eximiaque vastitate et virorum frequentia ac fere omnium est Indiæ urbium excellentior. Cayrum propterea Indiæ appellantur. Muro ambitur et pulcherrimas habet ædes.

**45** Olim eius dominus erat gentilis et idolis serviebat, nunc sectæ est Mahumetanæ. Id effecit numerosior cœtus Mahumetanorum, qui urbem incolunt eamque moderandam suscepere, quæ scatet gentilibus.

**46** Ibi lacha nascitur uberius quam alibi gentium. Negociatores sunt non incelebres. Naves habent innumeras, quibus sulcant maria; et in primis Aethiopicum, Erythræum, Persicum necnon Indicum. Abest hæc urbs a capite, quod dicitur Diongul, miliaribus CCC. In eius sinu sunt complusculæ urbes, quas percensere longum foret, inque eo insula, quæ Maya dicitur; et post id caput Diongul orientem versus aliud caput occurrit, quod appellatur Ely, ad miliaria fere CL et inde ad urbem Calechut miliaria DC.

DE REGE NARSINDO ET QUADAM ECCLESIA SANCTI THOMÆ

**47** Hucusque littoralia omnia percurrimus, videlicet ab urbe Caranganora usque ad insulam Ormus. Superest, ut de regno Cu-

chini, præsertim de mediterraneis nonnihil exaremus. Est igitur introrsus ad miliaria fere CCC, non longe a montibus, rex quidam nimium potens Narsindi. Is quum sit valde potens, urbem habet triplici circumdatam muro; ea dicitur Besenegal. Is rex, ut retulit Ioseph Indus, quum ad bella proficiscitur, secum ducit elephantos DCCC, equites IIII mille, pedites vero innumeros. Adeoque magnum innumerumque, quum exit ad bella, secum trahit exercitum, ut spacio CCC miliarium ad quamcumque orbis partem minime contineri possit; id est quadrata acie tantundem terrarum versus orientem et occidentem et rursus itidem versus Aquilonem et meridiem exercitus occupat. Res prope incredibilis, licet vera! Addebatque dictus Ioseph regnum huiusce regis patere circuitu trium milium miliarium. Is rex colit idola.

**48** Verum revertamur ad littoralia. Et primo loco auspicabimur ab urbe Cuchina, quæ respicit orientem et prætenta est Indiæ. Dum igitur solvis ab urbe Cuchina tendisque ad ortum solis ad miliaria fere centum, caput comperies, quod appellant Cumar (et inde usque ad Indum fluvium, ubi auspicatur India, intercedunt miliaria quingenta). Inque eo itinere sinus visitur non incelebris, cui nomen est Orizæ; et ibi famigerata urbs de nomine sinus Oriza dicta. Eam præterfluit Indus.

**49** Et in eodem sinu est urbs alia, quæ instar promontorii in mare prominet. Ea dicitur Milapar, in qua divi Thomæ apostoli delubrum celebre colitur eximie; idque templum refert ecclesiam sanctorum Ioannis et Pauli Venetiarum. In eo igitur delubro corpus divi Thomæ quiescit, quod claret innumeris miraculis. Colitur propterea eximie ab omnibus, licet infidelibus.

**50** Præterea in hoc mari Indico complures insulæ visuntur; et inter alias duæ sunt, quæ cæteras omni rerum celebritate præstant: Altera Sayla dicitur, quæ abest a dicto capite Comar miliaribus prope CC; ea est, quæ mittit equas. Post hanc ad orientem altera visitur, quæ dicitur Samotra (nos Taprobanam appellamus), quæ abest ab urbe Calechut itinere trium mensium. Ultra eam est Cataium, feracissima – ut dictum est – insula, cum aliis compluribus, quarum haudquaquam meminisse est animus, quandoquidem ab dicto Ioseph Indo plura non accepimus neque nos eas remotiores orbis partes adivimus.

**51** Potuissemus quidem longiore subsellio gemmarum ac lapidum margaritarumque naturam indagare necnon de aromatum

generibus disserere complura, quum hæc in primis ferat India. Verum quum minime pertineant ad id, quod retulit Ioseph prædictus, ex composito temperabimus tum, ut præter verum nihil relat-um putetis, tum vel maxime, ut tandem aliquando cœptum opus ad umbilicum deveniat.

FINIS